



De Probatis|| Sanctorvm|| Historiis

Partim|| Ex Tomis Aloysii Lipoma-||ni, Doctissimi Episcopi, Partim Etiam||
Ex Egregiis Manvscriptis Codicibvs, Qvarvm permultæ antehàc nunquàm
in lucem prodiêre

Complectens Santos Mensivm|| Maii Et Ivnii

Surius, Laurentius

Coloniae Agrippinae, 1576-

VD16 S 10258 - 10263

De S. Iohanne episcopo Sile[n]tiario.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77393](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-77393)

DE S. IOHANNE EPISCOPO SILENTIARIO.

295

Historia sacra libro 2^o Seruationem eum vocans. Meminit etiam eius Athanasius in Apologia ad Constantium ad quae loca lectorem remittimus. Quæ autem in Chronicis suis de eodem annotauit Siebertus monachus ea huic adscribemus.

Seruatius decimus Tungrensis Episcopus, Domini nostri Iesu Christi consanguineus, non solum ex eo, quo voluntatem Dei patris faciebat, sed etiam secundum car- Ad annum Christi 399.
nem. Qui hatus quidem à Perside, filius fuit Eminin, cuius pater fuit Eliud frater Elizabeth, quæ peperit Iohannem Baptistam. Mater vero Eliud & Elizabeth Esmeria, soror fuit Anna, quæ genuit Mariam matrem Domini. Et rursum: —

Attila Hunnorum rex, Vualameris Ostrogothorum regis & Ardarici Gepidarum regis & multarum Aquilonarium gentium sibi subiectarum auxilio fultus, à Pannonijs egressus, Occidentale imperium inuidit cum quingentis millibus armatorum. Et primò per totas Gallias per eos tanta effurbuit Dei indignatio, ut nullam omnino ciuitatem, castellum vel oppidum aliqua à furore eorum potuerit tutari munitio. Et Hunni post pauca Hoc excidium Gallijs impendere Seruatius Tungrensis longè ante in spi- stant Gal- ritu præuiderauit, & Romæ à Petro Apostolo hoc iudicium Dei ineuitabile fore didic- rat. Ideoque relicta Tungrensi vrbe, quæ cuertenda erat, ad Traiectum sedem Episco- palem transposuit.

VITA SANCTI JOHANNIS EPISCOPI SILEN-

TIARII LAVRAE ABBATIS SABAE, EX SIMEONE ME-

taphraoste. Scripta est autem à Cyrillo monacho eius æquali, qui etiam Sabæ

Abbatis vitam conscripsit. Stylum autem fortassis Meta-
phrastes expoliuit.

RIMVM mihi propono dicendum de Iohanne Abbate ^{13. Maij.} Lauræ, beati Sabæ Silentiariorum, ut qui & tempore & vita ^{Cap. 1.} splendore omnes alios antecedat. Hic ergo illuminatus pater noster Iohannes, ducit quidem originem ex Nicopoli, quæ est in Armenia, natus ex parentibus, qui nomina- ^{Eius patria.} bantur Encratius & Euphemia. Erant autem insignes opibus & claritate generis, multosque præclarè magistratus gesserant, ducesque fuerant exercitus, & populi rectores, & in aula regia magna habuerant potentiam. Quorum res plurimas pulcherrimæ gestas Byzantini narrant & Armeni, quas quidem lubens prateribo, ne à procœmio afferam sa- tiatem: illa sola de eo narrans, quæ sunt propemodùm nota omnibus, qui illum nouère.

Natus est itaque, vt ipse mihi narrauit, octavo mensis Ianuarij, septima indictione, ^{Cap. 2.} quarto anno Imperij pīj ac religiosi Martiani. Cumque essent Christiani, qui eum ge- nuerant, fuit Christianus cum suis fratribus edicatus. Cū autem præterisset aliquan- tum temporis, & essent consummati in Christo eius parētes, & diuisæ essent parentum facultates, hic vir diuinus Deo seipsum consecravit, & ædificauit in ipsa Nicopoli ec- clesiastem semper laudandæ & semper virginis Marie, & huius vitæ rebus renunciavit, ^{Fit mona-} octauodecimo anno suæ ætatis. Assumptisque decem fratribus, qui volebant esse sal- chus, anno ^{18. ætatis} illuc construxit cœnobium. Toto autem tempore suæ iuuentutis multum posuit ^{fux.} studij, vt ventri imperaret, & superbiæ contemneret. Ut qui sciret quod ventris quidem satietas nesciat vigilare, neq; esse temperans, & quiete minimè patiatur superbìa. Abs- que vigilijs autem, castitate & humilitate nihil potest rectè gerere exercitatio. Sic ipse quidem in iuuenili ætate contendebat, vt mentē seruaret minimè sublimem, & sermo- nem nulli repræhensioni affinē, vt qui diuino esset sale conditus. Eos autē, qui erant ei subiecti, verbo & opere componebat, ac formabat ad se rectè gerendum in exercitati- one: neque eos onerans iugo regulæ, vt qui recenter compacti fuerant: nec permit- tens, vt manerent oculos, & se nullo labore exercearent: sed eos paulatim ducens, & di- uinis fluentiis irrigans, effecit vt fructus producerent pro dignitate sua vocationis.

Cū autem intrasset trigesimus octauus annus suæ ætatis, quæ in eo resplendebat, ^{Cap. 3.} Sebaste Metropolitanus à bona eius fama commotus, & à ciuitatis, quæ dicitur Co- lonia, habitatoribus rogatus, cū eum tanquam ad rem aliam accersiuisset, vt qui Ordinatur ecclesiasticorum graduum iam omnem peruersisset consequentiam, ordinat Episco- Episcopum,

pum, dictæ ciuitatis mortuo Episcopo. Cumque sic Pontificatum suscepisset inuitus, monastica disciplina non mutauit regulam, sed decerbat in Episcopatu, tanquam in monasterio, vt qui maximè vitaret balnea, nec se vnguam lauaret, non solum caue-

Pudicitia eius.

ne videretur ab alio, sed etiam ne seipsum videret nudum: in animo cogitans Adæ nuditatem, & quæ scripta erant in illa parte: & existimabat esse nam ex maximis virtutibus, nunquam lauari: & vt semel dicam, omne studiū ponebat, vt Deo placebat in ieiunijs, & orationibus, & castitate corporis, & puritate cordis, cogitationes tempore purgans, & omnem, quæ extollitur, altitudinē aduersus Dei cognitionē. Quinetiam frater eius Pergamius, qui apud vtrinq; Imperatorē, nempe Zenonē & Anastasiū, in magna fuit existimatione, & plurimos gesit magistratus, ab eius virtute illustratus, omne adhibebat studiū, vt Deo placaret. Itidē & eius patruelis Theodorus scriba vel clarissimus, cùm huius sui patrui, qui in virtutibus cōsenserat, famā audiret, & per auditionē suam illuminaret animam, Deo valde placuit cū tota sua familia. Qui quidē Theodorus nūc apud omnes, nempe Senatum, & in primis pium nostrum Imperatorem Iustinianum, propter prudentiam & virtutem honestatem, reclamque fidem & misericordiam, habetur in admiratione. Atq; haec quidē postea. Ego autem redeo ad temporis cōsequentiam.

Cap. 3.

Cum hic ergo diuinus Iohannes transfigisset iam decem annos in Episcopatu, accedit vt maritus fororis eius, qui vocabatur Pasinicus, Armeniorum haberet administrationem: qui instinctu satanico incipit damno afficere & conturbare eam, quæ illi credita fuerat, ecclesiam: Ihs quidem, qui eam administrabant, non permittens, vt ecclesiasticarum rerum curam gererent: Eos autem, qui intra eius fines configiebant, vi auellens, & ius asylī soluens ac violans. Qui cum lèpè rogaretur & à Dei seruo, cuadabat deterior, Maria eius forore iam mortua. Cum autē ex eo vir iustus in grauiissimam incidisset afflictionem, cogitur venire Constantinopolim. Cum verò illic fuisset, & quæ erant eius ecclesiæ utilia peregisset circa finem Imperij Zenonis, Euphemio Archiepiscopo Constantinopolitano pro ipso decertante, Deo gratum init consilium: nempe vt in sanctam secedat ciuitatem, & per te quietat ab omnibus huius vita negotijs. Cumque dimisisset eos, qui cum ipso erant, presbyteros & clericos, ac diuinis iussis peractis, & omnibus inscientibus, solus nauem ascendisset, venit Hierosolyma, & manet in primo sancte ciuitatis gerocomio. In quo gero comio est oratorium sancti Martyris Georgij. Cumque illic fuisset, & mundanam illuc turbam adspexit, magno animi dolore est affectus, Deumque rogauit cum lachrymis, vt deduceretur in locum sibi gratum, & quietum, & aptum ad salutem consequendam. Postquam autem in dicto gerocomio mansit venerandus pater noster Iohannes, in fundendis noctu ad Deum precibus versans longo tempore, cum vna nocte ex omnibus solus gerocomij impluuium & cælum suspexisset, adipicit repente stellam lucis, quæ habebat figuram crucis, & adipsum veniebat: & audit vocem ex illa luce dicentem: Si vis esse saluus, sequere hanc lucem. Is autem cum credidisset, protinus est egressus, & illam lucem secutus, venit in maximam Lauram sancti patris nostri Sabæ, cùm eo tempore esset Hierosolymitanæ ecclesiæ Pontifex Salustius, quartad ecclima indictione, tricesimo octavo sua ætatis anno. Quo quidem tempore à Deo constructæ maxima Laure ecclesiæ celebrata sunt encanaria, seu dedicatio. Anaftasius autem, mortuo Zenone, suscepserat Imperium, vt cum audiui sua lingua narrarent.

Cap. 5.

Cum venisset ergo ad maximam Lauram, inuenit beatū Sabam: qui habebat conuentum centum & quinquaginta Anachoretarum, qui degebant quidem in magna penuria corum, quæ ad corpus pertinent, erant verò diuites spiritualibus gratijs. Cum eum autem suscepisset beatus Sabas, tradit eum Lauræ Economo, vt ei mandaret ministerium vnius ex arcarijs, ignorans thesaurum, qui erat in eo reconditus. Ne miretur autem quispiam venerabilem scenem Sabam latuisse thesaurum bonorum factori Johannis: sed potius is reputet, quod quando vult Deus suis sanctis reuelare, iij sunt prophete. Quando verò noluerit reuelare, vident ad omnium similitudinem. Fertque orationi testimonium propheta Eliæs, dicens de Sunamitide: Tristis est anima eius, & Deus id me celavit. Diuinus autem Iohannes omnem implebat obedientiam, Economo & reliquis patribus inferuiens cum omni humilitate, promptitudineque & alacritate animi, aquam ex torrente afferens, coquens ijs qui adificabant, eisque ministras in lapidibus & ceteris ministerijs adificationis, quando construebatur Lauræ Xenodochium. Secundo autem anno eius in Lauram aduentus, purgato castello ab habitatione demonum, vt iam à me dictum est in vita sancti Sabæ, multum cum patre nostro

4. Reg. 4.
Dedit in
monasterio
Sabæ.

nostro Saba hic laborauit cum quibusdam alijs, ut ipse mihi narravit. Quo tempore sanctus quoque Abbas Marcianus per diuinam reuelationem ad eos misit alimenta, esurientes & nihil habentes, quod esset ad vitam necessarium. Cum vero tempus mutationis ministeriorum venisset in prima inductione, qui creatus fuerat Oeconomus, hoc magnum lumen praecedit excipiendis hospitibus & culinæ. Vide tanti viri humilitatem. Quod ministerium cum alaci & laeto animo suscepisset, omnium patrum curam gerebat, cum omni humilitate & mansuetudine vnicuique ministrans & inferiens.

Cumque is hoc obiret ministerium, accidit ut conderetur cœnobium, quod vergit Cap. 6. ad septentrionem extra Lauram: ut qui vita mundana renunciabant, in eo prius monasticam accuratè docerentur disciplinam: deinde sic in Laura habitaret, cum vitam cœnobiacam perfectè didicissent, beato Saba affirmante & dicente, quod sicut flos fructum præcedit, ita vita cœnobiaca vitam anachoreticam. Cum hoc ergo cœnobiū confrueretur, cogebatur hic vir iustus, qui hospitum excipiendo curam gerebat, præter alia Xenodochij ministeria, coquere artificibus, & secundò ferre onera, portareque cibaria, & reliqua ad eos, qui laborabant, qui plusquam decem stadia aberant à Xenodochio. Cum autem hoc anni esset impletum ministerium, omnibus patribus ædificatis ex eius moderatione, & honestate, & spiritali prudentia, dat ei pater noster Degit in Sabas cellam ad silentium. Venerandus itaque Iohannes, accepta cella, cum iussus est magni fieri silere, mansit tres annos per quinque dies hebdomadae à nullo omnino homine lento.

visus, neque aliquid sumens. Sabbato autem & Dominico ante omnes intrabat ecclesiā, & exhibat omnium ultimus, stans cum grauitate, & timore, & omni pietate ac reverentia, implensque psalmodia regulam, prout dictum est in psalmis: Seruite Domini, Psal. 2.

no in timore, & exultate ei cum tremore. Tanta vero ei aderat compunctio, ut ipse vehementer lachrymaretur in tempore incruenti sacrificij, & non posset se continere: In cruentum adeo ut patres, qui videbant gratiam lachrymarum, obstupecerent, & laudarent Deum datorem bonorum. Impleto autem tempore triennij, præficitur Laura Oeconomia, cumque Deus adiuuat in omnibus: benedictaque fuit Laura: crevitque valde conuentus eius ministerio.

Cum autem suum implisset ministerium, voluit beatus Sabas eum ordinare, ut vir Cap. 7. tute præditum & perfectum monachum. Cumque eum accepisset, & duxisset in sanctam ciuitatem, sexta inductione, adduxit ad beatum Eliam Archiepiscopum. Cumque narrasset eius virtutes, rogauit, ut ordinaretur presbyter. Et Archiepiscopus quidem, cum haec de eo audiuisset, procedit ad sanctum cranium, volens eum proprijs ordinare manibus. Cum vero hic magnus pater sic teneretur, ut non posset effugere, cum ea, quæ sibi inerat, sapientia dixit Archiepiscopo: Venerande pater, quoniam me quædam oportet dicere, rogo, ut tuæ beatitudini ea seorsum exponam: & si me dignum esse existimaueris, accipio ordinationem. Cum eum autem assumpsisset ad ascensum sancti Golgotha, dicit seorsum: Parce vita mea, rogo tuam sanctitatem, & nemini annuncies mysterium, ne ego ab hac recedam regione. Cum is autem pollicitus esset, dicit Hierosolymitanus: Ego, pater, sum viius ciuitatis ordinatus Episcopus, sed propterea quod multipli- Indicat res suas patriar- chæ Hierosolymitanæ.

cata esset mea iniquitas, procili aufugi, & habitavi in solitudine, expectans Dei visitationem. Iustum autem esse putavi, dum sum adhuc robusto corpore, ministrare & seruire patribus: ut quando ero imbecillus, minimè condemnner, si mihi ministrent alii. Cumque haec audisset Archiepiscopus, & esset admiratus, vocat beatum Sabam, & dicit: Quædam mihi secreta confidenter aperuit, & fieri non potest, ut ipse ordinetur. Sed ab hodierno die filebit, ei nemine molestiam exhibente. Et cum haec quidem solum dixisset Archiepiscopus, eos dimisit.

Beatus vero Sabas magnæ animi dolore affectus, secessit circiter triginta stadia à Cap. 8. maxima sua Laura, ab Occidente Castelli in speluncam, ubi postea construxit cœnobium. Cumque se pronum in terram deieisset coram Deo, dixit cum lachrymis: Cur Domine, me tantum despexisti ut ego deciperer, & putarem sacerdotio dignum esse Iohannem? Et nunc Domine de eo quid sit, mihi aperi: (tristis enim est anima mea usque ad mortem) an vas, quod à me fuit existimatū sanctificatum, & utile, & dignum, quod diuinum suscepere vnguentū, sit inutile coram tua maiestate. In his & huiusmodi Abbatis Sadi cum lachrymis sermonibus totam noctem traducente beato Abbate Saba, Angelico diuina- ca quædam appetit formam, dicens: Non est inutile vas Iohannes, sed vas electionis. Episcopus autem iam ordinatus, non potest fieri presbyter. Et eousque quidem fuit visio, fer hic vir Pater vero noster Sabas, ut qui Dei apparitioni & visioni Angelica esset affuetus, sanctus.

non

non timuit, sed lētitia affectus, venit in cellam diuini Iohannis, & eum cōplexus, dixit: O pater Iohannes, tu quidem Dei in te donum me celāsti, Dominus autem mihi aperuit. Et diuinus quidem dixit Iohannes: Tristitia afficior, ô pater: Neminem enim volebam hoc scire mysterium. Nunc autem non potero habitare in hac regione. Senex verò ei promisit per verbum Dei, se hoc nemini omnino enūciaturum. Ab eo autem tempore siluit in cella, neque procedens ad ecclesiam, neque vllum omnino conueniens, spatio quatuor annorum, eo excepto, qui ei ministrabat, ac nisi solūm dīe dedicationis, quā fuit in Laura nona indictione, venerabilis domus sanctissimæ Deiparæ & semper virginis Mariæ. Tunc enim solūm ad Archiepiscopum Eliam, qui accesserat ad dedicationē, coactus est exire, & cum salutare. Qui quidem Patriarcha cūm eum conuenisset, & spiritalis eius prudentiæ, & suavis collocationis amore esset captus, cum in honore habuit toto tempore sui Pontificatus.

Cap.9.

Dedit in de-
ferto Rubæ
6 annos.

Dan.14.

Cap.10.

Dies festus
Paschæ.

10f.1.

Matth.6.

Obserua-
Dei prou-
dentiam.

Cap.11.

Impleto verò tempore quadriennij, cūm beatus Saba à Laura secessisset ad partes Scytopolis, propter insolentiam eorum, qui nouam Lauram postea habitauerant, hic in primis venerandus Iohannes fugiens concilium insolentiarum, secessit in desertum Rubæ, quinquagesimo anno suæ ætatis, vndecima indictione. Siluit autem illic nouem annos, remotus ab omni humana consuetudine, cupiensque cum Deo quietè conuersari, & mentis contemplandi facultatem longa purgare philosophia, ad hoc ut reuelata facie Domini gloriam contempletur: omne etiam studium adhibens, vt à gloria in gloriam proficeret, desiderio eorum, quae sunt praestantiora. Post duos autem aut tres dies, se demittens ad naturalem vllum corporis, exhibat è spelunca, & obibat solitudinem ad colligenda melagria, quae sua sponte nascuntur, quibus aluntur Anachoretæ, qui sunt in solitudine. Quodam verò die cūm illic versaretur in principio, antequam esset eam expertus solitudinem, egressus ad ea colligenda melagria, aberrans incidit in inuia quædam præcipitia. Cumque non inuenisset viam, per quam rediret in speluncam, neque posset ingredi, cecidit propemodum examinis. Ecce autem repente diuinæ virtutis visitatione in altum sublatus, non secùs ac Propheta Abacuc, inuentus est in sua spelunca. Procedente verò tempore, cūm vastam illam expertus esset solitudinem, & locum didicisset, ex quo sublimis est cœlus, inuenit id esse spatium quinque mille passuum.

Frater quidam, qui venerat in Rubam, mansit apud eum partio tempore, vitâ cum eo exercens anachoreticam: Quem fratrem cūm cepisset satietas talis philosophia, dicit seni: Paschali iam festo appropinquate, eamus ad Lauram, pater, & diem festum Paschæ peragemus cum fratribus. Nam hîc nihil habemus, quod edamus, præter hæc melagria. Diuinus autem Iohannes nolebat illuc ire, cūm non esset illic pater noster Saba, sed à Laura, vt dictum est, recessisset. Fratrem verò, qui vt eò iret, vrgebat, admonuit, dicens: Quiescamus, frater, & credamus, quod qui sexenta hominū millia quadraginta annos aluit in solitudine, ipse quoque nos non alet solūm necessarijs, sed etiam superfluis. Ipse enim sic dixit: Non te dimittam, non te derelinquam. Et dicit in Euangelio: Nolite solliciti esse, dicentes: Quid comedemus, aut quid bibemus, aut quo induemur? Nouit enim pater vester caelestis, quonam ex his omnibus opùs habeatis. Sed quærите regnum Dei primùm, & iustitiam eius, & hæc omnia adiacentur vobis. Sustine ergo, ô fili, & angustâ viam præpone late. Nam quæ est hîc relaxatio ac remissio, æternum parit supplicium. Præsens autem afflictio præparat bonorum perceptiōnem. His & huiusmodi verbis frater minimè persuasus, recessit & iniit viam, quæ fert ad Lauram. Cùm is verò recessisset, venit homo quidam omnino ignotus ad senem, qui habebat asinum multis bonis onustum. Habebat autem eius sarcina panes mundos & calidos, vinum & oleum, & recentes caseos, & oua, & vrnam mellis. Cumque eum exonerasset, recessit. Et venerandus quidem pater noster Iohannes exultauit spiritu propter Dei visitationem. Frater autem qui recesserat, cūm à via aberrasset, valde que fratus fuisset & afflictus, tertio die rediit esuriens & resolutus, & fructum capiens suæ inobedientiæ. Cumque tot bona inuenisset in spelunca, & se damnasset incredulitatis & inobedientiæ, pudore affectus, procidit ad pedes senis, petens veniam. Senex autem misertus humana imbecillitatis, & fratri motus misericordia, cūm erexit & admonuit, dicens: Planè scias Deum posse mensam parare in deferto.

Eodem verò tempore Alamundarus Sicices, qui accepit Regis autoritatem in Saracenos subiectos Persis, inuasit Arabiam & Palæstinam cum magna ira in Romanos, omnia diripiens, & multa hominum millia abducens in seruitutem, & multa faciens nefaria,

nefaria, postquam capta fuerat Amine. Cumque multitudo Barbarorum dispersa esset per hanc solitudinem, iisque, quibus mādata fuerat custodia solitudinis, denunciant, ut caueretur barbarorum irruptio in monasteria, maximæ Lauræ patres significarunt venerando patri, ut desistret quidē in Ruba vitam degere, veniret autem ad Lauram, & quiesceret in sua cella. Et diuinus quidē Iohannes, qui per quietē diuinam gustarat dulcedinē, eam lubenter lequebatur, & non poterat in animū inducere, ut eam relinqueret, apud se hac reputans & dicens: Si Deus mei curā non gerit, quid viuo? Et sic altissimū suum ponens refugit, manūs minimè obstupefactus. Deus autē, qui semper cūram gerit suorū famulorū, Angelis quidē suis mādauit (vt dicit scriptura) vt sanctum Psal. 90.

suum conferarent. Volens autem eum securū reddere, vt qui paululūm esset territus, misit sensile custodem, leonē maximum & terribilissimum, qui eum diu & nō etiā custo- Deus leone
maximum
ei adhibet
diret ab immaniū barbarorū insidijs. Atque prima quidē nocte, cūm leonē adspexisset prop̄ dormientē, parū extimuit, vt ipse mihi narravit. Cūm aut̄ vidisset diu noctūq; custodem, sequente leonem, & ab eo non auelli, & propulsare barbaros, quibus ageret gratias Deo, emisit cantica, qui non dimittit virgā peccatorum super fortem iustorum. Atque beatus quidē pater noster Saba cūm venisset Nicopoli, & nouā Laurā cōstituisset, & ve- Psal. 124.
niasset ad speluncā adiūciū, vt à me dictum est in secunda oratione, & in mente reuo-
casset eā, que in ipso fuit aliquando visionē de S. Iohanne, iuit ad eum in Rubā, & dicit ei: Ecce Deus te seruauit ab incursione Barbarorū, teq; reddit securū, ad te missō sen-
sili custode. Surge, & tu quoq; fac id, quod est humanū, & fuge, sicut patres. Multisque Reducitur
ad Lauram.
alijs ad eū vsus admonitionibus, deduxit eum ad maximā Lauram secunda indictione, & inclusit eum in cella, cūm ageret quinquagesimum sextum annum sua ætatis, nullo alio ex conuētu cognoscente, eum esse Episcopū. Cūm autem plurimū temporis præ-
teriisset, prouidit Deus, vt aperiretur, qui occultus erat, Iohannis thesaurus, hoc modo:

Vir quidam, qui erat profectus ex regione Asiae, vocabatur autē Atherius, & Archi- Cap. 12.
episcopatus honorē consecutus, vt eum gradum decebat, vitam agebat: cūm venisset Hierosolyma, & loca veneranda cum viuifico ligno Crucis adorāset, & multas distri-
buisset pecunias pauperibus & monasterijs, egressus est ē sancta ciuitate, properans re-
dire in patriā. Qui cūm nauem consendisset, & parum maris nauigāset, propter quen-
dam ventum contrarium cūm magno periculo reuersus est Ascalonem. Cumq; post
duos dies velle rursus nauigare, ei in somnis apparet Angelus Domini, dicens: Non li-
cet tibi nauigare, nisi reuersus in sanctā ciuitatē, iueris in Lauram Abbatis Sabæ, & con- Proditur
eius digni-
tas ab an-
uenies Abbatem Iohannem Silentiarū, virum iustum & virtute præditum, qui est Epi-
scopus, & habet vim magnam opum spiritualium, & propter Dei metum & desideri-
um, omnia quæ sunt huius vitæ, contempnit, & voluntaria paupertate & exercitatio-
ne seipsum humiliauit. Tunc ergo cūm à somno surrexisset Atherius, & esse visionem
iudicāset, diligenter inquirens, venit in Lauram Abbatis Sabæ. Cumque visionem
renunciāset patribus, deductus est ad Silentarium. Quem cūm salutāset, & duos di-
es apud eum mansisset, & eum amplissimè conuenienset, iureinrando adigit, vt sua ei
planè & liberè narret & enunciet. Sicque compulsius, genus enunciatit, & patriam, &
sacerdotium. Quæ cūm cognouisset Atherius, & supra modum esset admiratus, di-
xit: Verē nunc quoque sancti lapides in terra volvuntur. Cumque sic iusto vale dixi-
set, iuit ad beatum Sabam, eiisque & patribus exposuit omnia de beato Iohanne: & ab
eo tempore cognitum fuit patribus Iohannis genus, & Episcopatus, septuagesimo an-
no ætatis sancti Iohannis, viceximo autem quarto fuit in cella inclusionis.

Sanctus verò pater noster Sabas eodem anno in pace dormijt, die quinto mensis Cap. 13.
Decembris decimæ indictionis. Tunc magni animo accepit dolorem preciosissima Obitus S.
Sabæ.
hac margarita Iohannes, quod non esset egressus ē cella, & ad fuisset consummationi
sancti Abbatis. Ei autem, cūm esset adeo anxius animo, & se esse patre priuatum defle-
ret ac lugeret, in somnis apparet pater noster Sabas, dicens: Ne sis de meo decessu tri- S. Sabas ap-
stis, ô pater Iohannes. Nam etsi sīm à te carne separatus, sum tamen tecum spiritu. Eo patet S. Io-
autem respondentē: Roga Dominū, vt me quoque assumat, dicit beatus Sabas: Hoc
nunc non potest fieri. Gratias enim tēratio est inuasura Laurā. Deus autem vult te esse
in carne, ad eos consolando & confirmando, qui se pro fide fortiter gerunt & dece-
rant. Hec cūm vidisset & audiuit diuinus Iohannes, easit quidē latus, vt qui de
Patre ægritudinem animi excusisset: sed sollicitus erat de tentatione, quæ ei fuerat si-
gnificata. Eum autem inuasit desiderium videndi, quemadmodum anima separatur
a corpore. Dumque de ea re Deum rogaret, mente raptus fuit in sanctam Bethleem,
& videt

Vifio. S. Io-
hannis.

& videt in imis ambonis subsellijs venerandæ, quæ illic est, ecclesiæ iacentem virum sanctum hospitem, qui consummabatur, & assumebatur eius anima ab Angelis, & cum diuina quadam hymnodia & suaueolentia ferebatur in celos; & petijt, vt ipfis oculis videret, an ita esset: Et surgens caip sa hora, iuit in sanctam Bethleem, & inuenit, quod ea ipsa hora homo decesserat: & eius sanctas amplexus reliquias, cum in eodem loco ei iusta fecisset, in sanctis thecis ea depositus: & sic in suam cellam est reuersus.

Cap. 14.

Illuminati huius senis discipuli Theodorus & Iohannes mihi narrârunt, dicentes: Postquam dormiisset sanctus Sabas, misit nos senex, vt p̄cessemus res p̄osis in Libiade. In via autem, cum transiſsemus Iordanem, occurserunt nobis quidam, dicentes: Vide, leo est ante vos. Nos verò cogitauimus posse Deum nos per preces sancti Abbatis custodire. An non enim eius voluntate hoc mandatum exequimur? Hæc cogitantes, ambulauimus: & ecce venit nobis leo in occursum, & valde timuimus, nec nobis vires remanserunt: statimque adipicimus senem in medio nostrî venientem, & iubentem nos esse bono animo. Tunc leo, tanquam qui esset actus flagello, recessit fugiens à nobis: nosque sine damno ambulantes, venimus ad senem, qui prior dixit nobis: Vide, quemadmodum inuentus sum vobis in necessitate? Sed hæc quoque multum

Vide mirā
sancti senis
abstinentiā.

pro vobis Deum rogaui, & ecce fecit misericordiam. Hoc autem mihi quoque dixit unus ex discipulis, cum multos annos vixisse solo pane vescentem, & ei admisuisse cinerem thuribuli, & sic comedisse. Eum verò hoc facientem depræhendi hoc modo: Oblitus erat semel suam obserare fenestram. Cumque vellem ei dare ientaculum, & tetigisse fenestram, ea aperta est, & inuenio eum exinanientem thuribulum in calicem. Cum is propterea magno esset dolore affectus, volens ego eius reprimere molestiam, dixi: Non tu solus hoc facis, ô pater, sed plurimi quoque huius Lauræ, impletæ scripturam, quæ dicit: Cinerem tanquam panem manducabam. & vix potuhiis verbis mutare senem.

Cap. 15.

Nonagesimo anno ætatis huius sancti senis, mense Nouembri sextæ indictionis egrediens ego è Metropoli Scythopolitanorum (vt iam à me quoque dictum est in oratione de sancto Euthymio) accepi mandata à mea matre Christi amante, vt nihil facarem ex ijs, quæ ad meam pertinent animam, absq; sententia & iussu diuini Iohannis, dicendo: Ne forte abductus ab errore Origenistarum, excidas ab initio à tua stabilitate. Cum itaque venissim Hierosolyma, & peregrinissim encænia nouæ ecclesiæ omni ex parte laudandæ Deiparæ & semper virginis Mariae, veni in Lauram beati Sabæ, & conueni diuinum Iohannem, ei me ipsum dedicans, & Deo gratum consilium volens ab eo accipere. Cumque ab eo audiisse: Si vis esse saluus, magni Euthymij habita monasterium: ego, vtpote iuuenis & stultus, contempto eius mandato, descendia ad Iordanem: volensque habitare vnum ex ijs, quæ illic sunt, monasterijs, non solum iter non habui prosperum, sed etiam magna laboraui ægritudine in Laura arūdineti. Cum autem fuissim in magno merore & tristitia, tum quod essem externus, tū quod ægrotus, & quod conuentus iugum nondum subiissim, apparebat mihi in somnis hic illuminatus senex, dicens mihi: Quod meo mandato minimè obedieris, suisti satis castigatus: sed nunc surge, & ingredere Hiericho, & inuenies seniculum quendam Monachum in Xenodochio Abbatis Euthymij. Sequere eum in monasterium, & eris saluus. E somno verò excitatus, & protinus confirmatus, cum fuissim intemeratorum particeps sacramentorum, & cibum sumpsissim, ascendi pedibus in Hiericho, adeo vt mirarentur patres tantam mutationem. Cumq; sic venissim in sancti Euthymij monasteriū mense Iulio sextæ indictionis, ex eo tempore assidue ad eum veniebam, omnia mea offerens. Iamdiù enim ex Scytopoli habebam notitiam cum eius discipulis, qui ad nostras ædes diuertebant, tanquam ad proprium Xenodochium, & annuam quandam benedictionem accipiebant à meis parentibus pro cœnobio & patribus Lauræ, ex quo præsentia sancti patris nostri Sabæ dignata est nostra domus. Quocircà mihi recedenti mater mea hæc dedit mandata. Quamobrem ego quoque ad cum vadens confidentius, admonitione eius fruor & precibus, maximè nunc ab eo iussus finere nouæ Lauræ habitationem, & habitare maximam Lauram, quod quidem Deo quoque feci volente. Et hoc quidem postea.

Cap. 16.
Efficacia
precum san-
cti viri.

Aliquo autem antē tempore conueni hunc sanctum senem, grauatus à cogitatione aliqua satanica. Quam cum ei exposuissim, & preces ab eo accepissim, sum statim relaxationem ab ea consecutus. Me verò eius fenestra assidente, & diuina fruente doctrina, quidam Georgius adduxit filium suum, qui vexabatur à dæmons. Quem cùm ante

Miraculum

Author hi-
storiæ huius
venit ad S.
Iohannem.

ante eius fenestram proiecisset, recessit. Puer autem iacente & lachrymante, cùm cognouisset senex cum habere immundum spiritum, motus est misericordia, fuisque Oleum san-
pro eo precibus, cùm eum vnxisset oleo sanctissimæ Crucis, eum santonum reddidit. Nam Oleum san-
cruis.
cùm malignus dæmon statim recellsisset, mundatus est puer ab illa hora.

Abbas Eustathius, qui paucis antè diebus successerat præfecturæ speluncæ huius be- Cap.17.
ati Sabæ, mortuo Sergio, vir spiritu egregius, rectisque dogmatibus & vita institutio-
ne, narravit mihi, sic dicens: Me aliquando grauiter oppugnauit spiritus blasphemæ:
veniensque ad Abbatem Iohannem Silentiarium, exposui ei meas cogitationes, roga-
uique, vt preces ab eo acciperem. Surgens autem senex, mihi fecit orationem, & dixit:
Benedictus Dominus, fili mi, quod tibi nō appropinquabit amplius cogitatio blasphemæ.
Atque ita factum est, vt senex dixerat: neq; ab illo tempore sensi amplius malam Prophætia
illam & blasphemam cogitationem.

Mulier quædam genere quidem Cappadocissa, Regina autem vocatione, Diaconissa Cap.18.
verò magnæ ecclesiæ Constantinopolitanae, venit Hierosolyma, habens secum
consobrinum, qui locum obtinebat præfecti: qui erat quidem alioquin vir pius, catho-
licæ autem minime communicabat Ecclesiæ, vt qui Seueri à recta diuersam suscepisset
opinionem. Atque Diaconissa quidem multum ponebat studij, vt mens illius mutare-
tur, & eum catholicæ vniret Ecclesiæ. Quamobrem vnumquenque virum iustum ro-
gabat, vt pro eo oraret. Quæ quidem mulier, cùm audijisset de gratia diuini Iohannis,
desiderauit quidem eum adorare. Cùm autem didicisset non licere mulieri in Lauram Fœminis nō
accedere, accersito Theodoro eius discipulo, rogauit, vt eum acciperet, & ad sanctum patet adi-
fenem deferret, credens fore, vt per eius orationem Deus conuerteret eius cordis du-
ram.

accepisset Theodorus discipulus, venit ad senē: & cùm pro more pulsasset fenestram,
& senex esset aperturus, iniecit vterque poenitentiam. Cumque dixisset discipulus, Be-
nedic nos pater: senex aperiens, dicit discipulo: Tibi quidē benedico, hic autem non
est benedictus. Cùm autem diceret discipulus, Non sic, ô pater: Respondit senex, Re- Hæreticum
uerà ei non benedicam, donec à mala schismaticorum sententia desfiterit, & se Catho- conuerterit.
licæ Ecclesiæ confessus fuerit cōmunicare. Hec cum ille audijisset, obstupuit sensi per-
spicacem gratiam, & miraculo mutatus, certò est pollicitus se communicaturum ca-
tholicæ Ecclesiæ. Tunc senex, cùm ei benedixisset & eum exerisset, primus ei intemerata
impertij sacramenta, absterfa ex eius corde omni dubitatione.

Hæc cùm didicisset Regina, venit in maius desiderium senem videndi suis oculis, Cap.19.
& in animo habuit se virili amictu induere, & ad eum venire in Lauram, suaque ei ex-
ponere. Hoc cùm ei ab Angelica esset apertum visione, ei significat, dicens: Scias, quod
si venias, futurū sit vt me non videoas. Noli ergo vexari: sed portius mane, & vbiunque
degeris, apparebo tibi in somnis, & tua à te audiam, & quæ mihi Deus in mentem im-
misserit, ea tibi renunciabo. Illa cùm audijisset, & aperte credidisset visionem, ipse ei ap-
parebat in somnis, dicens: Ecce Deus me misit ad te: enuncia mihi, an velis aliiquid. Ea ve Apparet in
rò cùm dixisset quæ ad se pertinebant, responsum accepit conueniens, & surrexit Deo somnis Di-
agens gratias. Cumque sensi venisset discipulus, tunc ei formam & figuram renun-
ciavit. Ego, qui hæc ab illa audiui Diaconissæ Regina, ea mando literis.

Locus autem, in quo fuit inclusus hic sanctus senex, habuit altissimum ab Occi- Cap.20.
dente præcipitum, quod instar muri erat, in quo fixum erat cellæ tectum. Præcipitum
autem petra est adeo siccæ & succo vacua, vt nullo modo possit cellæ ingenerare hu-
miditatem. Quodam verò die, cùm hic sanctus senex accepisset semen vnius carica, di-
cit suis discipulis Theodoro & Iohanni: Audite me: Si Dei clementia donauerit huic
semini & huic petrae virtutem, vt fructum ferat, cognoscetur, quod mihi Deus dono
largitur legnum cælorum. Cumque hoc dixisset, infraactæ illi petrae admouit caricam:
Deus autem, qui Aaronis virgam, quæ erat siccæ, pullulare & germinare annuit, ipse Num.17.
quoque iussit hanc infraactam & aridam petram germinare, vt ostenderet posteris, Res fandæ
qualem eius seruus gratiam sit assecutus. Cumque senex vidisset germen, gratias egit stupenda,
cum lachrymis. Quod quidem germen paulatim crescens in altum, peruenit usque ad
tectum, quod etiam operuit, & (vt femel dicam) post aliquod tempus ecce tres ficus
produxit. Quos cùm accepisset hic senex, & cum lachrymis esset deosculatus, come-
dit, Deo agens gratias, qui eum certiore fecerat: ex eis quoque parùm dans suis di-
scipulis. Et ecce arbor clamat, testans virtutem sensi. Ex quo autem comedit ficus hic
diuinus senex, se parabat ad exitum.

Cap. 21.

Quoniam verò iam ad profundam processerat senectutem, aperuerunt discipuli locum ipsum, ut ei ministrarent. Ego itaque ad ipsum ingressus, & germinis terribile spectaculum contemplatus, diligenter considerabam, quemadmodum radices egerit, & an rimas fissurās vīlas habeat petra: nec potui inuenire, adeò ut ego obstupēfactus dixerim: O altitudo diuitiarum sapientia & scientiae Dei: quām sunt imperscrutabilia iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius. Sciunt enim, qui diuturnam Lauræ huius beati Sabæ habent experientiam, quod nulla in area aut horto siccus nascatur, aut illa alia arbor, propter multam caliditatem & siccitatē aëris Laura. Quod si quis adducat arbores parui cœnobij, quæ sunt in via, sciat eas quoque fuisse opus orationis beati Sabæ. Cumque terram inuenissent profundam, & pluviarum torrentis aquarum copiam, multiq[ue] aggressi essent in profunda terra plantare iuxta torrentem, & tota hyeme irrigarent, vix uno anno potuerunt tenere arbores propter multam, ut dictum est, aëris siccitatē, & aestū vehementiam.

Cap. 22.

Hæc quidem pauca ex multis selecta mandaui literis, mittens narrare eius de fide certamina, quæ suscepit aduersus Origenis & Theodori Mopsuestiæ dogmata, & cotidie profidei defensione. rum, qui ea defendebant, & persecutiones, quas congruenter Euangeliō pro decretis sustinuit Apostolicis. Sed quæ ab eo in ijs gesta sunt, relinquō narranda alijs. Scio enim fore, ut multi (sicuti est consentaneum) post eius deceſsum studeant scribere eius certamina & persecutiones & pericula, quæ sustinuit pro fide Orthodoxa, victoriasque & res ab eo gloriose gestas in tua nostra (ut semel dicam) vita: ut qui propter vitam & coruscantes eius virtutes fuerit insignis & celebris.

Cap. 23.

Vt autem audiui sanctam eius linguam narrantem, trigesimo octavo suæ ætatis anno fuit ordinatus Episcopus, ut superius dictum est, & transigit decem annos in Episcopatu. Mansit autem in Laura prius nouem annis: & in cella sedens, in qua silet usque in hodiernum diem, impleuit Dei gratia quadraginta septem annos: & ecce iam peruenit ad centesimum quartum annum suæ ætatis. Estque, licet valde senex, latè vultu, promptoq[ue] & alaci animo, & diuina plenus gratia. Oramus autem nos quoque humiles & abiecti, ut Deus eum adhuc magis confirmet & corroboret, & eius cursum in pace consummet. Deo autem nostro gloria in secula seculorum, Amen.

HISTORIA PONTII MARTYRIS, EX QVO DAM MS. CODICE A F. LAVR. SVRIO, MVTATA PHRA- SI, descripta. Adstipulantur antiquissima Martyrologia.

14. Maij.
3. Pontij
parentes.

Mater cum
natum vul-
natum
interficeret,
sed pater
prohibet.

Psal. 113.



EATVS Pontius patrem habuit urbis Romanae Senatorem, Marcum nomine, matrem Iuliam. Ea prægnans cum templo falsorum deorum munera oblatura vnâ cum marito suo obiret, ad templum Iouis peruenit. Illud ipsa ingrediente, fortè stabat sacerdos velato capite infusa ornatus ad aras. Is à dæmonе arreptus, velamen capitis & infusum apprehendit, eaq[ue] planè discerpit, ciuilansque murum in modum, templum clamoribus impleuit, ita dicens: Hæc mulier filium habet in utero, qui grande hoc fanum funditus euertet, & deos illius communuet. Quas voces cum identi dem repeteret, Marcus & Iulia in vicinas ædes aufugerunt, correptoq[ue] saxo Iulia ventrem & latera sua tundebat, Utinam, inquiens, non conceperem eum, qui hoc magnū delubrum & eius numina euertet. Satius profecto fuerit me cum illo pariter interire.

Pōst vbi aduenit pariendi tempus, infantē formosum enixa est, nulla macula aspersum, existimantibus alijs abortum edituram matrem propter vim illatam crebris ictibus corpori eius. Et illa quidem volebat etiam natum puerum perdere, sed paternoluit permittere. aiebat enim: Non afferas manum infanti. Si vult Iupiter, vicitur hostem suū. atq[ue] ita conseruatus est parvulus, quem Pontiū appellārunt: nolebat autem illum vñq[ue] in templo idolorū introducere. Postq[ue] crevit, doctissimis præceptoribus adhibus, diuersarum artium & philosophiæ studij simbutus est, tenaci memorie omnia commēdas. Cūm aut aliquando manū surgens iret ad præceptorē suum, audiuit Christianos, quibus Pontianus Romanus Pōtifex prēcerat, psallentes & dicentes: Deus autem noster in celo, omnia quæcunq[ue] voluit fecit. Simulacra gentiū argenti & aurum &c. Id ille audiēs, diuinitus cōpunctus, suspirās fleuit, sublatissq[ue] ad cælū manibus, Deus, inquit